



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.VII. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

*Ex hujus Vita Msta. & R. P. Amando
Tribout.*

*IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. VII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XXVII.*

P. Candidus Nucalensis.
Apostolicus sanè Vir Sanctæ memorie P. Candidus noster Fur longius excitata rursùm magna à Rege in Catholicos persecutione, in montes & deserta, rogatus & conjuratus à Catholicis aliquamdiu se subducit, nec multo post reversus, dum in ipsius personam Regij acuratus inquirunt, ipso nil magis quàm pro Christo occumbere gestiente, denuo conjuratus tot fidelium solatio se reservare, navim conscendit, quem alia navi conscensa assequi conati persecutores, Divinitus prohibentur, disparente in oculis eorumdem navi qua Candidus vehebatur, ita ut illam submersam crederent, & passim vulgarent. Verum ille mox rursùm exscendens, dum prædicando & sanando prodigiosè infirmos plurimum meretur, denuo proditur & rursùm solertissimè, sed frustra, perquisitus, in remotiora Hyberniæ se recipit, ubi vis omnes mirabiliter demerendo. Inde Medici veste regressus, prodigiosum sanè agens medicum, non corporis solum, sed & mentium infirmitates & morbos gravissimos tollit. Missas per domos celebrans & sacrosancta Sacramenta ministrans. Iterum detectus & ad Concilium Regium delatus, denuo evadit. Electus Abbas Mellifontani Cænobij constanter renuit, non ad Dignitates in Patriam sese rediisse testatus, sed ad conversionem animarum, & confirmationem Catholicorum. Inde plurima rursùm miracula edidit. Mulierem à spiritu molestissimo infestam liberat. Dæmonem è domo, quam occupabat, fugat. Turlensi Comiti ægroto, qui ad prædicationem ejus hæresim jam abjuraturus erat, & sanitatis promissionem habebat, instante tamen misera uxore, veritus divitias perdere, & regiam incurere indignationem, obstinatus manserat, miserandam mortem temporalem, & æternam ante triduum prædixit. Quæ & accidit. Gerardum potentem & Nobilem in Hybernia virum, sed Hæreticum & moribus corruptissimum, varijs doloribus corporis afflictum, à se opem po-

stulantem, & Catholicum reddidit, & sanitati integræ restituit. Infusam medicinæ scientiam habuit, herbarum vim ex solo olfactu, dignovit, lapidum etiam virtutes Divinitus novit. Observarunt nihilominus viri doctissimi & sapientissimi, ejus remedia Divina potius quàm humana extitisse, herbasque & alia similia ad medicandum applicasse, ut sic populo videretur, non per miraculum, sed naturaliter, per remedia morbo oportuna sanitatem ægris reddidisse, ab nulla re magis quam celebrari abhorrens. Scribit ea de re ipse ad Abbatem suum Nucalensem; se nimirum, ut scandalum vitaret, cum offensi pauperes (dum ipse vitando nimium occursum medicinas negaret, asserendo se medicum non esse) & sperni se opinantes scandalizarentur, coactum, ea quæ in usu quotidiano sunt, cinerem, salem, avenam, aquam frigidam, poma & alia hujusmodi applicasse eorum morbis, lepræ, hydropisi, cæcitati & alijs hujusmodi, idque non solum erga pauperes sed erga Nobiliores Regni, quos omnes brevi tempore sanasset hujusce remedijs. Plurima alia edidit miracula, quæ brevitatis hic non patitur recenseri. Hæc rariora, dum nonnullos solo aspectu, quo in eos intendebat oculos, mirabiliter curavit: alios, qui ipsum nec accedere poterant neque intueri, missis quibuscunque quos benedixerat fructibus, mox ut eos sumplissent prodigiosè valetudini restituit. Diulgatâ nimium, ob tanta miracula ejus famâ Concilium Regium Dublinense convocavit ad eum in Urbem evocandum, conductu solemnî ipsi dato dierum quadraginta, nequid sibi sinistra imaginaretur. Comparuit promptissimè Vir sanctus, magno cum honore ab Senatu & primoribus urbis exceptus; quod nimirum omnes cogèrentur in eo Divini Numinis operationem agnoscere. Multa eâ itineris occasione & magna patravit miracula, multoque ab Hæretica convertit pravitate. Reversus in Hyberniam Watterfordiam divertit, ubi graviter ægrotantem & desperatum à medicis, Hæreticum illius civitatis Episcopum, prodigiosè sanavit, qui tamen ad majorem suam damnationem, obstinatus mansit, etsi Magnam S. Monachi fateretur Virtutem.

Z

Jntc.

*Sanctus
mutato
Candidi.*

*Solo intuitu
agros
curat.*

*Vir vere
apostolicus.*

*A Rege ip-
so evoca-
tur.*

Interea Regis ipsius Angliæ Cognata quadam gravissimè laborante & à medicis desperata, amantissimus e-
jusdem Rex, etsi Candidum Edictis Re-
gijs repugnantem oderat pessimè, con-
fcius tamen tantæ ejusdem Virtutis,
eundem ex Hibernia. evocat, salvo
conductu Regio Diplomate confirma-
to. Occurrit promptissimè Candidus,
& facta super infirmam oratione, ma-
nuque imposita eandem illico prodi-
giosissimè sanam reddidit. Rege mi-
rante quidem, & Candidum benignè
habente, verum obcæcato corde, &
obstinato, nil minus, quam de con-
versione cogitante, idque unum de-
lente & quiritante, nullum suorum
Ministorum, talia potuisse. *Ex Vita
ejusdem Candidi, fere ad Verbum transcrip-
ta.*

*Ejus cogna-
tam prodi-
giosè curat.*

*Prudentius
de Sando-
val.*

Inter alia Ordinis sydera, hoc ip-
so etiam anno mirè exsplendescit Il-
lustrissimus & Reverendissimus P. F.
Prudentius de Sandoval, Monachus S.
Mariæ de Najara, & Abbas Sancti Ji-
dori Chronographus Regius, à Philip-
po III. Hispaniarum Rege ob egregia-
rum Virtutum præstantiam, sed &
summa Nobilitatis eminentiam, pri-
mum ad sublimem Tudensis Episco-
patus subvectus Cathedram, inde ad
Pampilonensem promotus Episcopatu-
m, partes omnes egregij Pontificis
implevit, multaque egregij ingenij
monimenta posteritati reliquit. Quæ
inter, duobus tomis Invidiosissimi Ro-
manorum & Germaniæ Imperatoris
simulque Hispaniarum Regis Caroli
V. res gestas curiosè & eleganter de-
scripsit, sed & diversis duobus libris,
Historiam Tudensis, & Pampilonen-
sis Ecclesiarum doctè & disertè com-
plexus est. Multaque alia scripsit, quæ
ad nostram notitiam, non pervene-
runt, etsi multoties ferventer, & pro
alijs operibus, & pro hoc ipso urgere-
mus.

*Est Episco-
pus Tuden-
sis, inde
Pampilo-
nensis.*

*Viri illu-
stres.*

Nec minore laude excelluerunt hoc
ipso anno & tempore, etsi ad infulas
Pontificales non evecti PP. FF. Franci-
scus Ximenez, Monachus Vallisole-
tanus, Franciscus de Canseco Abbas
S. Jsidori post Sandovallum, Franci-
scus de Vega alijsque ab Antonio de Je-
pes, pro dignitate commemorati. *Ex
Chronico ejusdem Magni.*

In Italia celeberrimus habetur Il-

lustrissimus & Reverendissimus Domi-
nus Victorinus, quondam Abbas Sa-
cri Montis Casini, deinde Stabienfis
Episcopus, mox ad Arianensis Ponti-
ficatus Cathedram à Clemente Papa e-
jus nominis Octavo, cui probatissimus
erat & acceptissimus, pro meritis pro-
motus, à Paulo V. felicissimæ recor-
dationis, haud minoris judicij & sapi-
entiæ Pontifice, inter Assistentes Epi-
scopos, singulari honoris prærogati-
va cooptatus, Vir amplissimis hono-
ribus longè dignissimus. *Vid. M. Ant.
Scipio; Ferdin. Ughellus, &c.*

*Victorinus
Stabienfis
Episcopus.*

Romæ in facie Sedis Apostolicæ,
& Romanæ Ecclesiæ Cardinum, in-
signi effulget vitæ puritate & sanctita-
te Frater Dionysius à Sancto Bernar-
do cognominatus sanctissimæ Fulien-
sis Congregationis nostræ Conversus,
ut vocamus, in Monasterio sanctæ Po-
tentianæ ibidem sub humili amictu in-
ter servilia mania cœlis ipsis probatif-
simus. Hic Germanus natione ex Hel-
vetiæ, oriundus, Donatorum nostror-
um, qui videlicet simplicem obedi-
entiæ promissionem emittunt, in Con-
gregatione, simplici & prompta ad
amissim Sanctissimæ Regulæ obedi-
entiæ probatissimus, dilectus DEO &
hominibus, silentij quam maximè nec
non mortificationum omnium ama-
tor ferventissimus, aliquot annos toti
Congregationi & admirationi fuit, &
exemplo. Quadam autem die, cum
in oratione coram DEO Spiritum tot-
tis viribus effunderet; audivit vocem
de cœlo dicentem sibi: *Dionysi frater,
dispone conscientia tua, morieris enim bre-
vi: Dimissa tibi sunt peccata.* Retulit ip-
se quod audierat, inter Confessiones,
Superiori suo, qui se hæc parvi pen-
dere simulavit, sed octo post diebus æ-
grotavit, & SS. Sacramentis, maxima
devotione, & insolita omnium ædifi-
catione sumptis, intra paucos dies vi-
ta migravit, in Monasterio supra di-
cto S. Pudentianæ de Urbe. *Ex mo-
nim, ejusdem Canoby.*

*Dionysius
à S. Ber-
nardo.*

*Divinitus
de morte
edocetur.*

Laborat infinitis modis impedire
progressus admirabiles & felicissimos
Mariæ nostræ de Bellocillare Caco-
dæmon intolerabile sibi ducens, ut
quod nuper ex Monasterio Castrum
impietatis, suo sibi jure vendicaverat,
in Monte Martyrum, unius sibi foemi-
næ extortum generositate, in Sacra-
rium

*Dæmonis
contra re-
formatio-
nem molli-
tina.*

um omnis Virtutis, & promptuarium sanctioris Reformationis adolescere cerneret, & longe jam majora, sibi que intolerabilia, facile imaginari posset. Proinde Maleficam quamdam sibi devotissimam, per potentes quosdam, ut videbatur, & sapientes, & Monasterio optimè consultum volentes, sanctissimæ obrudit Abbatissæ & Monialibus, adeo simulare doctam ut ipsum omnis sanctitatis exemplar videretur. Soror Maria Parisiensis dicebatur, eam in omni virtutum genere perfectionem toto Novitiatu præferens, ut omnem cæterarum, & ipsius etiam Abbatissæ obsecraret splendorem sanctitatis. Tenuit annum hunc integrum omnium singularumque de ipsa opinio, donec ultroneis omnium votis, ad Professionem admissa, summa gratulatione omnium professâ, illico, sive cæcæ dæmone coacto, sive à cæcæ dæmone compulsâ statim à professione omne virus evomeret, diem horam sui ingressus, locum, Ordinem, statuta omnia horrendis clamoribus execraretur, & sanctam Abbatissam, sociasque Virgines, maximis terroribus completeret, & incredibili omnes mœrore afficeret. Ex quo ipso constat, quantam sibi inferi, ab uno hoc Virginum Cænobio metuerent, beneficio tamen. Numinis, manifestatis mendaciorum patris technis omnibus & insidijs, & facili deinceps reperto remedio, cum sceleratissima hæc bestia, Cænobio ejecta, privatim vivere, & suam agnoscere servitutem cogeretur.

Ex Vita Mariæ de bello villare Msta.

P. Adeodatus ab Assumptione.

Iterum novam Ordinis Reformationem molitur Venerabilis P. F. Adeodatus ab Assumptione cognominatus, Vir pius & fervens Zelo Religionis, Abbas Alcobaciensis in Portugallia, qui hoc anno Capitulum congregans in Collegio Conimbricensi, deputaturus locum, in quo Regula Sanctissimi Parentis Benedicti, cum Cistertij observantjs ad amissim observaretur. Designatum fuit Ceizæ Monasterium, quod tamen sequenti mox anno translatum legitur ad Monasterium Manzanariæ vulgo Mazerada appellatum.

Bernardus Gutierrez.

Moritur hoc anno Vir eruditione & vitæ integritate Illustrissimus Bernardus Gutierrez, Hortensis in Hispania Monachus, cui ob egregia talenta,

varia ab Ordinis Rectoribus munera sunt delegata, Romam enim missus ad procuranda Ordinis negotia, Summo Pontifici, Cardinalibus alijsque Ecclesiæ Primatibus, tam fuit gratus & acceptus, ut inter primos Curie Romanæ numeraretur, ubi septendecim fere annis subsistens, magna apud omnes fuit in existimatione. Inde Visitator Generalis constitutus, dum muneri suo strenuè incumbit, in Nuculensi sanctissimo Cænobio, morbo & morte præoccupatus, felicissimè decessit, relictis non paucis præstantissimi ingenij monumentis. *Manrique, Henriquez, &c.*

IESU CHRISTI ANNU S. M. DC. VII. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXVIII.

Maximo totius Benedictini Ordinis plausu solemnissimè Sanctorum Albo à Paulo V. Pont. Maximo adscribitur, S. Francisca Romana, Pauli de Buxo & Jacobellæ Roffrandeæ filia Novæ Reformationis Montis Oliveri, sub Regula Sanctissimi Patris nostri Benedicti, Institutrix, ipsomet tanto Patriarcha è cœlis ad ipsam descendente, ipsam informante quotidie, vel loco ejus Magno Gregorio, Institutorem agente. *Ex Actis Canonizat. ejusdem & Vita.*

Canonizatus S. Francisca Romana.

Cœlis immigrat hoc anno Venerabilis P. F. Bernardus Escuderus, Monachus & Abbas reformatissimus Vallis Bonæ in Hispania: Vir verè Sanctus & Angelicæ puritatis, qui in carne degens, sic carnis vitia abhorruit, sic mundum cum concupiscentijs suis calcavit, ut nunquam peccatum mortale in omni vita commiserit, & justitiam quam in Baptismate accepit, usque ad gloriosum ex hoc mundo decessum incontaminatam conservaverit. Maximam habuit Novitiorum curam, quibus insigne sui amoris relinquens monumentum, Meditationum diversarum ad eisdem librum unum scripsit, neque tunc viventes solummodo sed universam sanctam eorundem posteritatem demeruit. Vita excessit vir sanctissimus 13. Octobris anni 1608. *Phanix Reviviscens Chrysof. Henrig. &c.*

Bernardus Escuderus.

Insignis Novitiorum Magister.

Haud minori splendore sydus hoc etiam anno amplissimum Galliarum Regnum cœlis transmittit sanctæ memoriæ